



Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

Lourenço, Agostinho

Leodici Eburonum, 1692

Sectio III. De conditionibus ex parte personæ merentis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

alibi occupati; ergo &c. Ita P. Arriaga tom. 4. d. 57. num. 6.

SECTIO III.

De conditionibus ex parte personæ merentis.

48. **R**es sunt conditiones ex parte personæ merentis, de quibus in præsentem quæri potest, an sint simpliciter necessariae ad meritum de congruo: Prima, an requiratur status gratiæ sanctificantis? Secunda, an requiratur status viæ? Tertia, an operans sibi, & non alteri mereatur? Sic igitur:

49. **D**ifficultas 1. Utrum ad meritum de congruo requiratur necessariò status gratiæ; itaut homo existens in peccato mortali non possit mereri de congruo aliquod præmium supernaturale? Negative. Ita D. Thom. in 2. dist. 27. q. 1. art. 4. P. Belarm. & Vega, quos citat, & sequitur P. Soar. tom. 3. de grat. cap. 34. num. 2. P. Arriaga tom. 4. d. 57. num. 7. Probatur primò, quia peccator bene utens aliquo auxilio divino, potest aliud majus mereri; & se sufficienter disponendo, meretur justificationem; sed neque hanc, neque illud majus auxilium meretur de condigno; cum non sint opera facta ab homine dignificato per gratiam; ergo de congruo.

50. **P**robatur secundò à priori, quia ad meritum de congruo non requiruntur omnes conditiones; quæ necessariae sunt ad meritum de condigno; alioqui jam ab hoc non distingueretur; ergo sufficientes conditiones illæ, in quibus secundum rectam rationem, ac prudentem providentiam fundari possit aliqua sufficiens congruitas ex parte operis, & operantis, ut ratione talis operis aliquod speciale beneficium operanti reddatur; sed licet operans non sit justus, potest sufficiens ratio hujus congruitatis inveniri; siquidem ex parte actûs potest esse perfectio supernaturalis ejusdem ordinis cum præmio; & ex parte operantis, licet sanctitas non præcedat, magna congruitas invenitur in hoc, quod facit, quantum in ipso est, & potest cum auxilio divino; ergo &c.

51. **P**robatur terciò, quia licet ad hoc meritum non supponatur gratia sanctificans, supponitur tamen fides; siquidem hæc ex D. Aug. est fundamentum, & inchoat meritum supernaturale; sed fides, licet sola non sanctificet personam, inchoat tamen ejus sanctificationem; idè enim fideles aliquando vocantur sancti in Scriptura; ergo hæc conditio ex parte personæ cum aliis assignatis poterit sufficere ad supernaturale meritum de congruo. Confirmatur, quia in Scriptura dicitur, eleemosynam extinguere peccatum, sicut aqua extinguit ignem; ergo si fiat ex fide, & auxilio gratiæ à peccatore, erit utilis per modum meriti, saltem de congruo, ad perfectam penitentiam obtinendam.

52. **O**ppositum tenent Sor. lib. 2. de Natur. & Grat. cap. 4. & Medin. 1. 2. q. 27. art. 4. dub. 2. & q. 109. art. 6. dub. 3. Fundantur 1. quia si opera facta in statu peccati essent meritoria de congruo alicujus præmii supernaturalis, multum prodessent, licet absque charitate fierent; sed hoc videtur repugnare verbis Apostoli 1. Cor. 13. ibi: Si charitatem non habueris, nihil sum, nihil mihi prodest; ergo &c. Respondeo negando minorem; Apostolus loco citato non negat, peccatorem posse aliquid facere conducens ad vitam æternam; alioqui neque pos-

set orare, sicut oportet juxta illud Luc. 18. 1. Oportet semper orare, & non deficere; neque aliquid impetrare; neque se disponere ad vitam æternam per remissionem peccati, quæ sunt omninò falsa: Undè solum vult Appltolus; opera sine charitate nihil per se, & immediatè valere ad obtinendam vitam æternam; & simul nihil prodesse, nisi per ea tandem ad charitatem perveniatur.

53. **F**undantur 2. Quia si opera facta in statu peccati essent prout sic meritoria, sequeretur, peccatorem posse mereri, saltem de congruo suam justificationem, & remissionem peccati; consequenterque justificationem esse ex meritis, & non omninò gratuitam; sed hoc repugnat Apostolo in tota Epistola ad Romanos, præsertim cap. 11. 6. Si autem gratia; jam non ex operibus; alioqui gratia jam non est gratia; ergo &c. Respondeo si sermo sit de tota hominis justificatione ab initio usque ad illius terminum, tunc non posse peccatorem illam mereri de congruo, quia non potest mereri primum gratiæ auxilium, à quo incipit justificatio; & in hoc sensu justificatio non est ex operibus, sed ex gratia; siquidem ejus initium est omninò gratuitum; at verò si sermo sit de solo termino justificationis, aut aliqua intermedia dispositione ad illam, tunc concedenda est sequela; siquidem prout sic non repugnat verbis Apostoli, ut ex infra dicendis constabit.

54. **F**undantur 3. Quia peccator carens gratiâ, non potest Deum sibi debitorem facere alicujus boni; siquidem per peccatum meretur privari omni bono, & puniri omni malo; sed omne meritum juxta gradum suum constituit debitorem eum, apud quem meretur; ergo peccator nullo modo, etiam imperfecto, live de congruo, potest mereri apud Deum. Respondeo ad majorem, peccatorem non posse Deum sibi facere debitorem ex justitia; maxime verò ex decencia, & congruitate; nam daret, quod ex justitiâ mereatur privari omni bono; potest tamen ex decencia mereri restitutionem sui debiti; maxime cum supponatur ex parte Dei aliqua benevolentia merè gratuiti in conferendo aliquo auxilio, cujus peccator ratione sui peccati erat indignus.

55. **D**ifficultas 2. Utrum ad meritum de congruo requiratur tanquam conditio necessaria status viæ; five quod persona merens sit viator? Quod idem valet, ac inquirere: Utrum Beati in Cælo, & Animæ in Purgatorio possint sibi, & aliis mereri de congruo? Quid in hac difficultate dici potest, satis constare poterat ex dictis de merito condigno d. 2. sect. 31. à n. 654. adhuc tamen pro præsentem merito de congruo breviter aliqua sunt dicenda. Igitur;

56. **D**ico 1. Neque Beati in Cælo; neque animæ in Purgatorio merentur sibi aliquid de congruo. Ita D. Thom. 1. p. q. 62. art. 9. & ad 2. & 3. & 2. 2. q. 83. art. 11. ad 1. & in his locis cõmuniter Interpretes P. Vasq. 1. p. d. 230. cap. 2. n. 2. licet sibi videatur contrarius in 1. 2. d. 216. cap. 4. ut notat P. Arriaga ex P. Soar. citando; tenent etiam Medin. 1. 2. q. 114. art. 6. & Aristodorus. lib. 3. sum. tract. 8. cap. 5. q. 6. P. Soar. tom. 3. de grat. lib. 12. cap. 34. num. 56 & tom. 2. de Relig. lib. 1. cap. 11. & 22. P. Arriaga tom. 4. d. 57. num. 8. loquens de merito gloriæ essentialis, & accidentalis, licet num. 9. contrarium teneat de merito accelerationis resurrectionis.

57. **P**robatur primò, quia si semel concedatur Beatis aliquod meritum, nõ est cur eis denegetur meritum de condigno; siquidem ex parte operis, & personæ merentis datur tota perfectio, & omnes conditiones, quæ ad meritum condignum sunt necessariae;

cessariæ; hæc excepta; sed nullus tribuit Beatis meritum de condigno, ut patet ex dictis d. 2. à num. 654. ergo neque eis tribuendum est meritum de congruo.

58. Dicent, non dari in Beatis meritum de condigno, quia deest ibi promissio ex parte Dei. Sed contra, quia si aliqui ex parte Beatorum durat status merendi talium præmiorum, non est verisimile ibi deesse promissionem, & pactum ex parte Dei, maxime cum status merendi, ut supra diximus, pendeat ex divina ordinatione; ergo si status Beatitudinis non excludit statum merendi sibi bonum nondum habitum, Deo ita disponente, non etiam excludet meritum condignum defectu promissionis ex parte Dei; quod tamen non concedent.

59. Probatum secundò, quia Beati in patria non merentur sibi de congruo præmium aliquod essentialiale, ut omnes fateantur; sed neque etiam merentur aliquod accidentale; siquidem hoc totum respondet præmio essentiali, utpote cui debetur, ut proprietates connaturalis, aut illud consequitur ex speciali Dei favore; sicque correspondet meritis habitis in via; ergo &c.

60. Oppositum tenent D. Thom. 1. 2. dist. 5. q. 2. art. 2. & in 4. dist. 50. quest. 2. art. 1. quest. 6. D. Bonnav. in 2. dist. 11. art. 2. quest. 2. & in 3. dist. 18. art. 1. quest. 2. ad 2. Gabr. ibid. Sot. in 4. dist. 50. q. unica, art. 4. P. Vasq. 1. 2. d. 216. cap. 4. pro quibus: Obijcies 1. Christus Dominus, habens Visionem Beatam, meruit gloriam corporis, licet hæc esset connaturaliter debita ejus Visioni Beatæ, ut supra diximus d. 2. num. 772. ergo etiam Beati poterunt eam sibi promereri. Respondeo primò, argumentum, si valeret, etiam probare, Beatos mereri sibi de condigno suam beatitudinem accidentalem, ut meruit Christus Dominus, quod tamen supra negavimus d. 2. à num. 664.

61. Respondeo secundò, concessio antecedente, negando consequentiam, diversificatio est: Primò, quia Christus Dominus habebat jus ad gloriam corporis ex alio titulo, sicque potuit illam mereri: at verò Beati habent jus ex solis meritis viæ; sicque necessarium non est, illud iterum repeti in Patria. Secundò, quia Christus Dominus fuit simpliciter viator: at verò Beati jam sunt absolute in termino. Tertiò, quia de Christo Domino constat ex Scripturis, Conciliis, Sanctorum Patrum, & communi Theologorum consensu, ut solet ostendi in Materia de Incarnatione: at verò, ut id affirmemus de Beatis, nulla est autoritas, aut ratio; imò cum de lege ordinaria id, quod jam debetur ex merito, titulo non cadat sub meritum, ut constat ex supra dictis, & Beatitudo tam essentialis, quam accidentalis, jam sit debita ex meritis viæ, potius habemus fundamentum ad affirmandum non eis deberi ex novo alio titulo, nempe ob merita acquisita in patria.

62. Obijcies 2. Beati de facto eliciunt plures actus bonos liberos; ergo per illos possunt mereri de congruo, saltem gloriam accidentalem, quam nondum possident. Respondeo primò argumentum, si valeret, etiam probare, Beatos mereri de condigno hujusmodi gloriam, quod Adversarii negant, & nos supra negavimus d. 2. à num. 664. Respondeo secundò negando consequentiam; ratio est, quia gloria accidentalis non cadit per se sub meritum, sed tanquam quid consequens ad gloriam essentialem; sicque eodem merito, quo Beati in via meruerunt gloriam essentialem, sanxerunt etiam accidentalem, quæ illam consequitur suo tempore conferenda.

Obijcies 3. Ad meritum condignum, ut supra diximus, requiritur promissio Dei, ergo licet Beati defectu promissionis divinæ, non mereantur de condigno suam gloriam accidentalem, poterunt tamen illam mereri de congruo. Respondeo argumentum solum probare, Beatos non semper habituros meritum condignum, seu nõ semper Deum moveri illorum operibus ad dandum præmium; non autem probare, quod si moveatur, non moveatur de condigno, supposita æqualitate operis cum præmio, & condignitate personæ: cum autem nullus admitat in Beatis meritum condignum respectu suæ beatitudinis essentialis, neque etiam accidentalis, non debet etiam illud admittere de congruo.

Dico 2. Beati in patria (idemque de animabus in Purgatorio) nihil etiam merentur aliis proprio merito de congruo. Ita D. Thom. 2. 2. quest. 83. à 150. P. Soar. tomo 3. de Grat. lib. 12. cap. 34. num. 8. & communior sententia. Probatum eisdem fundamentis, quibus præcedentem conclusionem probavimus. Dixi proprio merito de congruo, quia non negamus Beatos multa aliis impetrare, ut constat ex supra dictis d. 2. num. 668. & ex dicendis constabit.

Oppositum tenent P. Vasq. 3. part. d. 76. num. 7. & cum eo P. Arriaga tomo 4. d. 57. num. 11. quatenus asserunt, impetrationem esse meritum congruum, licet P. Soar. cit. dicat, quæstionem hanc videri esse de nomine, & de modo loquendi; adhuc tamen: Dices: D. Aug. epist. 105. sentire videtur, impetrationem esse quoddam meritum, dum infer: ibi: *Nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat*; hæc autem illatio non esset bona, nisi impetrare esset aliquo modo mereri, nempe de congruo; ergo impetrare est mereri de congruo; sed Beati, ut diximus, multa aliis impetrant: ergo etiam aliis merentur de congruo. Idem sentit D. Aug. lib. de Prædest. Sanctor. cap. 2. Respondeo impetrationem propriè loquendo non esse dicendam meritum congruum, utpote à quo in multis differt, ut constat ex supra dictis d. 1. à num. 40. & cum D. Thom. 2. 2. quest. 83. art. 15. & ibid. docet P. Soar. cit.

Primò enim differunt, quia meritum procedit ex radice charitatis: impetratio autem habetur ex gratia Dei, quem oramus, & qui nos ad orandum inducit. Secundò, quia oratio sine gratia gratum faciente non est meritoria; cum tamen sit impetratoria. Tertiò, quia impetratio solum est rei postulate: meritum autem potest esse, & regulariter est alterius præmii. Quartò, quia impetratio propriè dicta est proprius affectus solius orationis quoad ejus propriissimam partem, quæ est petitio, seu postulatio: meritum autem est commune omnibus bonis operibus, si aliæ conditiones concurrant. Quintò, quia impetratio respicit Deum ut donantem: meritum autem, cum fundetur in bonitate operis, respicit Deum ut retribuentem, & remunerantem, quatenus opus bonum, & honestum in ejus obsequium factum, cedit aliquo modo in ipsius commodum, & bonum, licet extrinsecum: Ex quibus satis constat impetrationem non esse propriè meritum, neque de congruo: Quod adhuc efficaciter:

Probatum primò ex supra dictis d. 1. num. 45. quia Christus Dominus in celo orat pro nobis, & orando multa nobis impetrat: tum quia id magis conforme est Scripturis ad Rom. 8. 34. & 1. Joan. 2. 1. tum quia ita docet communior Sanctorum Patrum & Theologorum sententia; tum etiam quia si id conceditur aliis Beatis, cur non etiam Christo

Domine

SECTIO IV.

Utrum meritum de congruo sit tantum respectu merentis?

Domino; & tamen Christus Dominus in Cælo non meretur nobis; alioqui non de congruo, sed de condigno nobis mereretur; ergo &c.

68. Probatur secundò, quia alii Beati, non solum pro aliis, sed etiam pro semet ipsis orant, ut latè ostendit P. Soar. tomo 2. de Relig. lib. 1. cap. 11. n. 9. & patet ex clamore illo animarum Apoc. 6. 10. Et clamabant voce magna dicentes: Usquequò Domine (Sanctus, & verus) non iudicas, & non vindicas sanguinem nostrum de iis, qui habitant in terra? & tamen huiusmodi Beati (imò & Virgo Sanctissima, quæ pro nobis orat, & impetrat) non sibi merentur; alioqui, non de congruo, sed de condigno mererentur; ergo impetratio distinguitur à merito etiam de congruo. Confirmatur, quia peccator per orationem sibi impetrat aliquod auxilium supernaturale, ut est multorum probabilis opinio apud P. Soar. cit. n. 9. & tamen multi etiam docent, peccatorem, neque de congruo, posse sibi mereri aliquid supernaturale. Deindè qui sibi, aut alteri petit salutem ex charitate, & prout oportet, impetrat salutem; & tamen illam de condigno non meretur; & meretur gloriam, quam ex vi petitionis non impetrat; ergo potest separari meritum ab impetratione, & è contra; consequenterque sunt quid distinctum. Igitur.

69. Ad testimonium D. Aug. quatenus ex impetratione fidei videtur colligere meritum, dicendum est, Sanctum Doctorem, aut loqui de merito latè, & improprie sumpto: aut fortasse melius, loqui de impetratione improprie & latè sumptà; siquidem cum oratio impetret movendo Deum ad concedendum, quod petitur, idè quælibet dispositio bona obtinens à Deo aliquod beneficium, dicitur impetrare, sive impetratio; sic enim Trid. sess. 14. cap. 4. dixit, attritionem impetrare gratiam in Sacramento, id est, disponere ad gratiam. Nisi velis dicere D. Aug. loqui de viatoribus, qui per fidem ambulantes, in quibus impetratio, etiam propria, semper habet adiunctum aliquod meritum. Ex dictis.

70. Colliges primò, Beatos, licet pro aliis orent, & impetrent, id tamen facere sine aliquo novo merito: tum quia hoc est magis conforme eorum statui, in quo jam sunt omnino in termino, ideoque nihil operantur, aut petunt, ut aliquid de novo mereantur; neque etiam efficiunt suas actiones, ut aliquid aliis mereantur, sed solum tanquam Dei familiares, eique conjunctissimi pro aliis intercedunt ob præcedentia merita: tum etiam, quia si pro aliis orando aliquid mererentur, id ipsum mererentur, etiam quando non impetrant, quod postulant; siquidem etiam tunc habent opera congruentia cum præmio; hoc autem est falsum; ergo &c.

71. Secundò, idem etiam dicendum de animabus Purgatorii; licet enim possint orare, & impetrare ex Misericordia Dei; aut per respectum ad Christi merita; aut ad sua propria præcedentia, & quæ habuerunt in hac vita; non tamen impetrant ob aliquod novum meritum; siquidem status ille purè pœnalis non est accommodatus, sicque neque determinatus ad merendum, ut supra diximus d. 2. à n. 672. Tertiò, prædictam conditionem, nempe statum viæ, esse necessariam ad meritum etiam de congruo, sicut necessariam esse diximus ad meritum de condigno,



Um supra dixerimus d. 2. à num. 778. unam ex conditionibus requisitis ex parte perlonge merentis ad meritum de condigno esse, ut sibi unusquisque; & non aliis mereatur, idè hic superest explicandum: An eadem sit ratio pro merito de congruo? Sit igitur.

Difficultas 1. Utrum possit quis alteri mereri de congruo? Affirmativè. Ita D. Thom. 1. 2. quæst. 114. art. 6. & ibi Conrad. Cajet. & alii Recentiores, & Scholastici in 3. dist. 18. & 19. Sor. & Medin. ibid. P. Soar. tom. 3. de grat. lib. 12. cap. 35. n. 2. P. Granad. 1. 2. contr. 8. tract. 12. d. 9. P. Ledesm. P. Arriaga tom. 4. d. 57. num. 14. P. Ripal. tomo 2. d. 96. num. 2. & alii. Probatur primò ex D. Aug. lib. 20. contra Faustum cap. 21. ubi dicens, nos colere Sanctos, ut meritis eorum conficiemur, non loquitur de meritis in patria: tum quia ibi nulla sunt, ut supra diximus: tum etiam, quia illa distinguit ab eorum orationibus, dum ait: Et eorum orationibus adjuvemur; atqui sociari meritis Sanctorum nihil aliud est, quam aliquo modo eorum fructum participare; ergo merita unius Sancti possunt aliis, saltem de congruo prodesse.

Confirmatur primò ex eodem D. Aug. lib. 99. in Exod. quæst. 149. ubi dicit, meritum Moyfi tantum valuisse apud Deum, ut gratia illius diceret ei Deus: Sine me, & iratus conteram eos. Et D. Amb. lib. 5. ad illud Luc. 5. Quorum fidem, ut vidit: Magnus Dominus, inquit, qui aliorum merito ignoscit aliis, & alios probat, alius relaxat errata. Cur apud te homo collega non valeat, cum apud Deum servus, & interveniendi meritum, & jus habeat impetrandi: Idem habent D. Amb. ibid. cap. 5. D. Aug. lib. 21. de Civit. cap. 27. D. Leo, serm. 1. de D. Petr. & D. Paul. D. Thom. in 4. dist. 45. quæst. 3. art. 3. & alii. Secundò, quia D. Aug. serm. 1. & 4. de Sanctis, & serm. 99. de diversis. & læpè alibi dicit, quod si Stephanus non orasset, Ecclesia Paulum non habuisset. Et D. Fulg. serm. 4. de Stephano: ibi: Charitatis virtute subnixus vicit Saulum crudeliter sævientem, & quem habuit in terra persecutorè, in cælo meruit habere consortem: ex quibus satis colligitur D. Stephanum meruisse D. Paulo auxilia ad conversionem; ergo &c.

Probatur secundò rationibus: Prima, quia oratio unius pro alio impetrat illi; ergo etiam merebitur illi, saltem de congruo. Dicent, impetrationem, & meritum esse diversa, neutrumque habere cum alio necessariam connexionem, ut supra diximus; ergo licet unus possit alteri impetrare, non ideo sequitur, posse etiam mereri. Sed contra, quia oratio funditur ab homine iusto, & viatore, illatio est optima; siquidem oratio, ut impetret, debet benè fieri, & ex fide, & auxilio gratiæ; idè enim est opus de se placens Deo; ergo si persona sit grata, non est, cur non sit meritoria alteri, saltem de congruo, si ad bonum ejus referatur ex affectu orantis; sic enim debet intelligi illud Jacob. 5. Orate pro invicem, ut salvemini, multum enim valet deprecatio iusti assidua.

Secunda ratio est, quia ad meritum de congruo, cum sit imperfectum, non requiruntur tot conditiones, quot requiruntur ad meritum condignum, quod est perfectum, sed satis erit, si concurrant præcipuæ, & quasi essentielles ex ratione generali meriti; atqui ita concurrunt in præsentis